ANTONII THYLESII CONSENTINI POEMATA. CYCLOPS. HORTULUS...

Antonio Telesio



Antonius Thylesius ad Io. Matthæum
Gybertum uirū ampliss. Clemētis
VII. P. M. Datarium opt.
& sapientiss. pa-
tronum
suū.

Doctis nobilitat sacer libellis
Illos sæpe poeta, uita quorum est
Segnis, mors uelut, eripitq; morti
Post mortem insuper, & facit perennes.
Tantum Musa uiri potest diserti.
Contra nunc sed ego peto Gyberte
Ignotum celebrare me poetam
Per te, cuius in Vrbe, & Orbe fama
Indefessa uolans canit benigne.
Quare hunc sic tibi dedico libellum,
Non ipse ut capias decus, sed esse
Per te nobilis ut queat libellus.

Ab Aenea rogatus Vlyſſis ſocius Achæmenides lamenta exponit, iraſqꝫ Polyphemi coecitatem deplorantis.

Aeneas. Achæmenides. Cyclops.

Aen. Hoc quoqꝫ Achęmenides referas, timor omnis abeſto,
Aequora nanqꝫ tenet iam claſſis, fare age, Cyclops
Quos fremitus, miſeros ſolitus quos edere queſtus,
Lucis inops errat dum caſſus lumine, & heros
Exanimis procul alta petens effugit Vlyſſes.
Ach. Nate dea, Teucrum decus, & ſpes certa, fatebor
Soſpite quo nunquã Neptunia Pergama flammis
Conſediſſe, iuuant quando hæc, quæ ſæpius hauſi
Auribus, expediam dictis, præcordia quanuis
Pulſat adhuc, prohibetqꝫ pauor audita profari.
Eſt prope ſpumantes fluctus ſub rupibus Aetnæ
Spelæum, ſcopulis ſuper impendentibus ingens,
Dira domus, ſuffixa horrent ubi terga ferarum,
Brachiaqꝫ informi dependent ſquallida tabo.
Inde ferus, cum uix aperit Sol aureus orbem,
Egreditur pecudes inter, uaſtuſqꝫ recumbit,
Qua ſalis aſſiduo pulſu caua ſaxa reſultant.
Hinc procul e denſis latitans ubi conditus umbris
Errabam, tales iactantem uoce querelas

Auribus his tacitus suspensis sæpe notaui.
Cycl. Inuisum superis caput hoc cur parcis in undas,
Lethæas undas, tandem demergere, siqua
Es dea Trinacriæ, quæ rapta silentibus umbris
Imperitas? memini questus audisse parentis,
Armatusq; animis ingentibus ilicet ultro
Accurri laturus opem, timor ante sed illum
Abstulerat. rursus dic mecum fistula carmen.
Aut pater altitonans unum e tot millibus ignem
Fulmineum, tibi quem manus hæc formauerat olim,
Incute, ut immani transfixus uerbere, uitæ
Quod superest, reddam, placitaq; in morte quiescam.
Enceladus quondam uelut actus turbine uasto
Mole sub hac flammas efflat latere ustus, & ardet
Sæcula tot. nunquã Iouis ira extincta quiescit.
Applorans rursus dic mecum fistula carmen.
Tam procul Eois surgens rubicunda tenebras
Dispulit ore nitens roseo Titonia coniunx,
Vndiq; & extinctus stellarum diffugit orbis.
Mox ruit, elabensq; flagrantibus exit ab undis
Extremas radiis lustrans Sol igneus oras,
Et tremulis fulgore uadis accenditur æquor,
Impellunt animæ quod leniter aspirantes.
Omnia quæ quondam fuerant mihi dulcia uisu,
Quæ nunc perpetua pereunt caligine mersa.

Applorans rursus dic mecum fistula carmen.
Plurima per siluas errat uaga turba uolucrum
Natiuis depicta coloribus, illa nec usquam
Conspicienda fluit celeri per inania lapsu.
Argutis tantum resonant loca uocibus usq;.
Tuq; arguta iterum dic mecum fistula carmen.
O nemus hinc illinc surgens super æthera, quondã
Grata quies fesso, cum stratus gramine molli
Suspiciens teretes ramos super impendentes
Gaudebam uiridi specie resupinus in umbra.
Hic hederæ serpunt molles, hic arbutus antris,
Eminet hic fugiens in cœlum garrula pinus,
Cum leuis hirsutas frondes mouet aura fauoni.
Garrula tuq; etiam dic mecum fistula carmen.
Obstrepit ecce cadens saxis manantibus humor,
Et salebris offensa procul respondet imago.
Ite simul prope me pecudes, simul ite capellæ,
Lanigeræ pecudes, hirtæ, simæq; capellæ,
Pascite propter aquas, hic mollia pabula campi,
Hic dumosa uiret rupes. ne uis fera uenti
Præcipites summa specula deturbet in undas,
Ne lupus insidias circum malus inuestiget,
Ite simul prope me pecudes, simul ite capellæ.
Tu quoq; pelliti custos gregis, ardua, pernix,
Strenua, fida, sagax, uenatrix, effera, pugnax,

Comminus occurrens fures age candida Leuce.
Dulcius hoc iterum resonet mea fistula carmen.
Cœruleo surgunt candentes gurgite Nymphæ,
Stellantes nox picta sinus ubi fusca recondit.
Quas inter, mea cura, uenit Galatea sorores.
Hanc nunquã uitreis e fluctibus egredientem,
Ceu quondam solitus fueram, spectare licebit.
Et nunc illa nouos casus miseratur amantis,
Assidet & forsan, sed supprimit ore querelas,
Ne mea præsenti laceret præcordia luctu.
Dulcius hoc iterum resonet mea fistula carmen.
Iamq; procul uisus tristes agnoscere uoces,
Et gemitus iam sæpe meas grauis impulit aures.
Quandoquidem unanimes pariter coniunxerat ambo
Fidus amor, pressitq; tenaci compede uinctos.
Ex quo leuis adhuc matrem comitatus euntem,
(Nanq; iuuat meminisse meos mea fistula amores)
Conspexi roseis carpentem lilia palmis,
Et strophio religata comas formosa nitebat.
Dulcius hoc iterum resonet mea fistula carmen.
Tunc primum rudis insolito iactatus amore
Errabam, memini bis denas condere noctes,
Bisq; dies denos solis sub rupibus Aetnæ.
Nec minor Aetnæis q̃ rupibus æstuat ignis,
Gliscebat tenero sub corde Cupidinis ignis.

Inſpexi primum liquidis tunc fontibus ora,
Florebat malis cum nondum pulchra iuuentus,
Luxuriemq; comæ fingebam lætus opacam.
Te quoq; tunc primū módulans mea fiſtula cantus
Edocui,quibus obſtupuit genus omne ferarum,
Atq; euulſa procul radicitus affuit arbor.
Tum uaga præcipites tenuerunt flumina curſus,
Et mea uicta nouis concentibus, effera quāuis,
Nata mari quanuis,properans e fluctibus ultro
Adnabat. dolor eſt,hæc & meminiſſe uoluptas.
Frigidulam ah quoties,trepidamq; amplexus in acta
Nuſquam amittebam,donec ſuſpenderet altam
Luna facem, & tremulis ſplendeſceret ignibus æther.
Tanta mihi quæ nunc ceciderunt gaudia, nec te
Aſpiciam poſthac leuibus ſuper æquora plantis
Nereidas inter blandas agitare choreas.
Triſtius extremum repetat caua fiſtula carmen.
Viuite montiuagi Panes,uos uiuite Nymphæ.
Ille ego ſum Cyclops Siculæ modulator auenæ,
Paſcere doctus oues,calathoſq; intexere iunco,
Et canibus luſtrare ſagacibus omnia ſiluæ,
Viribus inuictus quondam. quæ cuncta nefandus
Abſtulit in tenebras rapiens mihi noctifer atras,
Triſtius extremum repetat caua fiſtula carmen.
Stultus ego.Eurymides prædixerat omnia uates.

Infelix Cyclops, Ithacus tibi frontis honorem
Demet Dardaniis ueniens rate uectus ab oris.
Quæ, niſi dempta foret mihi mens prius, [illegible]aſſem.
Venerat, & blando cœlans immania uultu
Inſidiis animum rapuit malus ante, doloſi
Triſtia dona ferens nimium pretioſa Lyæi.
Nectar erat dulci mihi nectare dulcius Hyblæ.
Et ceu Lethæo dilutum flumine ſenſus
Eripuit, circum uiſi concurrere montes,
Et remeare uadis refluentibus Acidis unda.
Tum geminum caput attollens pecus omne per æquor
Cernere erat paſſim liquidis colludere campis.
Iamq; ſopor preſſit languentem, ſponte nec inde
Territus exilui, cœcaq; in nocte uolutus,
Cæde madens, uſtuſq; genas, ferus, anxius, amens,
Voce fremens, miſer errabam. ruit undiq; ſiluis
Turba minax, nec quo ſe uertat, conſpicit uſquam.
Ille etenim inſultans, uictorq; fugacibus auſtris
Vela prius procul hinc dederat leuis ales in altum,
Atq; ingrata ſui monumenta æterna reliquit.
Triſtius extremum repetat caua fiſtula carmen.
O pater, o pelagi regnator, ſiccine inultum
Me ſinis? inuiſi nauem prædonis adactam
Quin rapis huc nobis perdendam? uulſa uideres
Corpora iacta manu, pontoq; immerſa cruento.

Iamq; uolant passim correpta cadauera raptis
Visceribus, riuiq; fluunt iam sanguinis atri.
Tum capitis diri direptum lumen utrunq;
Disiicerem. poenas lueret, quas repperit ipse,
Suppliciis quando nihil est his tetrius usquam.
Tristius extremum repetat caua fistula carmen.
Vel tu, siqua mei tangit te cura, procellas
Inijce, ut impulsus per saxa furentibus euris
Frigidus exhalet uitam sine honore sepulchri.
Quod si fata negant, patriosq; reuisere portus
Constituunt, longis, durisq; laboribus actus,
Da pater, amissis sociis crudelia passus
Hospitia, ignotasq; pererret naufragus oras.
Quin etiam exhaustis erroribus in sua postq̃
Regna reuectus erit, manus impia morte cruentet.
Ach. Hęc horrēda fremebat atrox Polyphemus ad undas.
Quæ mea ne posthac quaterent tremefacta pauore
Pectora, tu tandem ueniens dux inclyte Teucrum
Eripis, & dira seruas a morte receptum.

Laudatur Archinti Hortulus
Buxo, Hederaq;
insignis.

Fessus eram, bibulis licet auribus inter eundum
Haurirem, quæcunq; meus Coruita ferebat,
Iucundus, si quisq; alius, facundus & idem.
Diua animum excoluit cui Pieris, atq; in utroq;
Iussit ut excellens sermone, Graia Latinis
Adderet, & patriam studiis decoraret honestis.
Cũ mihi pertempus profert se Archintus agendis
Spectatus causis, seu sacris, siue profanis,
Nec tamen a Musis quicq; semotus, & ambo
Quo properant? melius ne pati nunc pulueris haustus?
An aliud, suadent quod tempora forsan, & æstus?
Hæc ait, & dextra pariter, læuaq; moratur
Iniecta geminos, ceu polypus acer, & ad se
Non hercle inuitos trahit ille. sequemur? ego inq;.
Qui potis inquit eris meus hinc auellier usq;?
Vestibulũ ingredimur, mox hortulus excipit herbis
Fertilis, unde halant uarii noua germina flores.
Quasq; solet Pæan, senior uel filius olim
Colligere, & succis morbos depellere tetros.
Quis calor extinctus redit in frigentia membra.

Pallor abit sæuo reuocatis manibus Orco.
Multaq; frondosis uiret hæc arbuscula ramis
Buxifero quondam procul huc aduecta Cythoro.
Materiam unde faber serratis dentibus æquans
Mundiciem in capitis format, comptumq; capilli.
Vertit & hanc circum tomans stridentibus armis,
Quæ matris retinet nomen, seu conditur illic
Gurgitis esca mali, irritamentumq; nepotis.
Quo scabies magis increscit uesana palati.
Siue Euros, Zephyrosq; notant spirare per æquor
Nautarum uaga turba, silent licet omnia uentis.
Artificis ferro nitet hæc detonsa bidenti.
Surgit & (horrendum) uarias imitata figuras.
Frondeus ingressos terret ferus ora Colossus.
Sæuit & allatrans canis asper non minus, atq;
Persephones rabiem cuius male sensit amator.
Nauigat hic ingens mare Corbita. alta uideres
Carbasa tenta noto, distentos undiq; funes.
Nereides prope consurgunt, ceu cũ uada quondã
Cœrula prima nouo sulcauit flamine puppis,
Abductura gregis decus ingens. quo Thetis alma
Tempore Pelæo correpta cupidine sensit
Quid sit amor, gelidisq; exarsit tota sub undis.
Nec mora, (tanta repẽte medullas flãma perussit)
Enatat, inq; atram fugiens mutata figuram,

Falleret ut centum Nereo genitore sorores,
Saxa per,& cautes,& falsas labitur undas.
Abditaq; in scopulis latebrosis dulcia carpit
Furta,nec undanti meminit se reddere ponto.
Quid loquar & Dryadū facies? Satyriq; bicornis?
Diceret hunc quis non ueneris stimularier oestro?
Intortosq; sinus? spirisq; ingentibus angues?
Et circumtonsos orbes? simulacraq; coeli?
Ardua quid referam sacri fastigia templi?
Est ubi,quem dixisse nefas,ne ludicra ueris
Miscere,& leuibus confundere sacra,sit ingens
Relligio,sed quo nascente pericula mille,
Mille uias lethi uitauimus.ante reflexo
Poplite suspiciens tristi uir flebilis ore
Pectora contundit scopulo.ferus adiacet una.
Omnia quæ formata licet, simulataq;,dices
Mortua non hæc sunt,non hæc sine motibus esse.
Nam crescunt, pariterq; uigent, & suppetit humor
Cuiq; suus.cunctas nutrix alit hubere eodem.
Quod neq; Praxiteles mira quæ fecerat arte,
Contigit,aut tabulis,quascunq; probauit Apelles.
Siue luto quisquā,fuluo seu claruit auro.
Hæc,quando nunquā sunt aucta uigoribus ullis,
Viuere ne uere affirmes,quæ nulla mouentur.
Cætera me rapiunt,& passim lumina sistunt.

Quæ Mirthus Veneri, quæ grata est Vitis Iaccho.
Vtraqꝫ formosa est. gracili nitet altera ramo,
Frondibus & pariter positis consurgit acutis,
Semperodoratis, semperqꝫ uirentibus iisdem.
Altera condensat scænam diffusa, uirensqꝫ
Læta comam æstiuos defendit tegmine soles.
Nil tamen oblectat me ualdius, atqꝫ uirenti
Prætentus paries hedera, quæ plurima lapsu
Multiplici serpit lambentibus omnia ramis.
Grata deo, mentis qui curas eluit acres.
Nanqꝫ nouercales hac tectus paruulus iras
Effugit, Thyrsos ornat qua nunc memor, inqꝫ
Crateras torquet, curruqꝫ & Tigribus aptat.
Dat quoqꝫ ferre suis, sibi nec deus inuidet illam.
Vestit at impubesqꝫ genas, crinemqꝫ madentem,
Ne rapidi exurat faciem uis ignea solis.
Vosqꝫ deum curæ uates hoc munere donat,
Vt quoniam nunquã frondis decus interit æstu,
Nec glacie, pluuiisqꝫ, uiret sed iugiter illa,
Tempore sic omni uobis quoqꝫ fama perennet.
Salue hominum, diuumqꝫ decus, formosa, uirẽsqꝫ,
Ambitiosa, sequens quodcunqꝫ amplecteris, errans
Mille uiis, lasciua, fluens, mollissima, leuis
Nec minus, innumeris fibris quæ infixa supremos
Ascendis ramos innitens arboris altæ.

Nec Telluris amans tantum, ſed cortice, quamuis
Prædura, ſurgis lætiſſima, cornibus inq;
Ramoſis uiſa es celeris quoq; uiuere cerui,
Teq; fuga rapit ille ſua uenatibus actus.
  Digna polo tandem, nam tu quoq; ſidere fulges
Aurea, Minois poſtq̃ miſera occidit, & te
Depoſuit triſtis Liber, cœloq; locauit.

LVCERNA.

Lucernam deſcribit a Lampio patritio
Mediolanenſi dono miſſam.

Aenea uincta hederæ foliis caua tempora Bacchi
Affixæ gratum præbent mihi lampadis uſum.
Vertice nam qua ſe partes coma uertit in omnes,
Et tenuis gyro capitis patet area ſummi,
Deſcendit uelut exiguæ teſtudinis orbis.
Cornibus hunc operit religatum emblema gemellis
Inſigne, inq; uicem retegit ſpecus inde remotum.
Agricolæ munus quo Palladis inſtillatur.
Quem ſimul accepit calua ærea parua liquorem,
Mittit in os, animi cui nuncia lingua palato
Exerta, & ſulco cœlata ellychnia anhelat.
Vſq; laboranti ſimilis perſona uidetur.

Aeſtuat,efflat hians ardentes faucibus ignes.
Atq; exuſta genas atro furit horrida uultu.
Eiectus quondam Semeles uelut ignibus aluo.
Grata mihi,& noſtris aptiſſima dona Camoenis
Lampius hæc dedit inſignis patriaq;,domoq;,
Lampius ingenti mecum coniunctus amore.
Scilicet ut,ueterum ſeu me monumenta uirorum
Noſſe iuuat,latium,uel quos tulit Attica Tellus,
Ludere ſeu mihi quid libet inter carmine curas,
Quis ſcatet undiq; uita calentibus inſperatis,
Lumina ſufficeret tam cari munus amici,
Et quaſi iucundi ſocius foret ille laboris.
Ignipotentis opus fuit hoc.deus hoc ſibi primum,
Ipſe ſibi,& ſponſæ formauit Mulciber, exit
Vertice quæ ſacro.nam quãuis bellua nobis
Perſimilis nutrit ſimilem turpiſſima alumnum,
Tardigradumq;,moleſte,ac turpiter incedentem.
Attamen ictus amore procaciter appetit uſq;
Coniugium duro formoſæ Palladis ore.
Quanuis læta oculos,quanuis nitet aurea crines.
Nec pater abnuit hoc,carum ſed nata pudorem
Caſta negat ſibi poſſe auferri uiribus ullis.
Ergo infelicis deus in ſolamen amoris
Finxit,ubi foret inuentum utriuſq; deorum.
Et ceu nocturnus uigil eſſet coniuge miſtus.

Lumineq; appofito faber Aegida perficit illi,
Spicula præfigens adamantina uel polit haftæ,
Aut crebris tegmen capitis cauat ictibus aurei.
Frigida cum tremulis nox ignibus atra relucet.
Candidus & fufcæ frater ceffiffe forori
Non dolet Oceani delapfus in ima barathri.
Mittit & hanc ipfam gemmifq;,auroq; decoram,
Ingentem,expreffam fignis, quo læta tenebras
Pellat, opus fiquod cœlefti lucubrat aula.
Aurea feu torquet fubtegmina, pectine denfat
Seu telas,urgenfq; argutis plaufibus æquat.
Ornat acupictrix feu pallam,nam licet ufq;
Cafta dea eft, cupit ufq; tamen formofa uideri.
Nec minus hinc illinc omnes iam commouet in fe
Spectantes cupide diuos,oculifq; inhiantes,
Quam foror Idæis uictrix conuallibus olim.
Quanuis illa cupidine fit comitata uolucri,
Efferus occultos qui fpargit arundinis ignes,
Semper & huc illuc blandos dea fpirat amores.
Interdum ftudiofa coloribus atria cœli
Diftinguit uaftos armans in prælia fratres,
Enceladumq;,Typhoeumq;,aeriumq; Mimanta,
Et mouet hinc acies horrendas, inde deorum,
Bellonãq;, Gradiuumq;,Amphitryoniademq;,
Ipfumq; ardenti iaculantem fulmina dextra

Impauidū altitonantem, animisq; in bella ruentem.
Quem prope Gorgoneis astans furit anguibus ipsa.
Nec superas tanto discrimine deserit arces.
Vnde deus sese gaudet spectare, memorq;
Difficilis quondampugnæ pictosq; triumphos
Perlegit, & caræ libat pater oscula natæ.
Quin etiam Phœbi, Musarumq; æmula Pallas
Nocte silente modos, & carmina digna deorum
Auribus inuigilat, docet hæc, quos diligit, ipsa.
Omnia sollerti fingit quæ pectore diua,
Atq; alia, gratum despecti ad lumen amantis,
Cum facibus primum mortalis sedulus atram
Dispellit noctis nebulam, cœcasq; tenebras.
Idq; est, qui cœlo nunc Palladis Hesperus ardet,
Hesperus, æternum decus altisonantis Olympi.
Non minus hic quanuis diuum Regina, Venusq;,
Et galea insignis Tritonia certat, in uda
Quam Phrygio quondam sub iudice lis fuit Ida.

Aestu, remigioq; fessus cum e naui descendisset
Alethes Syracusanus, ærumnas exponit,
miseriasq; Nautarum.

Soluerat Aetnæis puppem longæuus Alethes
Finibus, & solita sulcans uada salsa carina
Nota Syracusiæ repetebat littora terræ,
Cum defessa manus iuuenum per cœrula remex
Aequora, solis aquas flāmis urentibus ipsas,
Aetherei medium iam conscendentis olympi,
Scrupea, quæ cernunt caua proxima rupe sub ima,
Antra petunt curuis laquearibus edita summis,
Desuper incumbente coma spissa arboris altæ.
Lympharum scatebris frigentibus insonat & fons,
Fons prædiues aquæ dulcis, quem glarea riuum
Excipit, & lapidosa uelut remoratur, amaris
Ignarus ne se præceps immisceat undis.
Algida dumq; aliis somnos facit umbra, torusq;
Graminis, ales opacæ & garrulus incola siluæ,
Ipse senex mecum recubans, sic me modo tristis,
Inuisum spectans pelagus modo, talia fatur.
Quæ mala mens, quæ ue ira deū te cōpulit hospes
Ignotas tentare uias, nostrosq; labores
Discere, & infidis ultro te credere uentis?
Conditio nulla est hominum crudelior usq;,

Quam mare,quã triſtes hyemes horreſcere,nec cum
Aequora tuta uides,iam tunc datur hora quieti.
Sed miſeri inſanos æſtus, & ſæua uiciſſim
Frigora perferimus noctes freta uaſta dieſq;.
Aſſueto incumbens operi iam laſſus arator,
Veſper ubi,piger agricolas agit ante iuuencos
Per nemus,irrepitq; domum,dulces reuiſit
Seruantes limen fida cum coniuge natos.
Raraq; poſt miles pulchri certamina belli
Diues,honore fluit,functuſq; labore quieſcit.
Nobis nulla quies,uiſu quid ſæuius uſquã eſt?
Quam ſiquando maris facies turbatur,& imis
Sedibus eructat ferueuti gurgite fluctus.
Pontus & illiſus ſcopulis ſuper æthera ſurgit:
Hinc atq; hinc ignes exterrent nubibus atris.
Humidaq; immiſſis feriuntur carbaſa nimbis.
Et conuexa tonant ingenti murmure cœli.
Cunctaq; nox horrenda cauo conuoluit amictu.
Exitium crudele oculis tunc omnibus hæret,
Nec ſpes ulla fugæ pauidis,maris obruat unda,
Cautibus an cœcis immani turbine adacti
Vitam exhalemus miſeram ſine honore ſepulchri,
Et ſuper aduolitent nudata cadauera Mergi.
Quod ſi forte pater Neptunus parcit,& audit
Vota libens,mulcetq; ſecundis æquora uentis,

Non tamen est quicq; non formidabile nautis.
Sæpe etenim scopulos impacta tegentibus undis
Membra natant passim fragilis disiecta carinæ,
Aut compage senescit hians, fluctusq; uieta
Accipit occultos, portu quis mergitur ipso.
Sentit enim tutos non semper nauita portus.
Quid, læti quoties leuibus delabimur auris,
Nec timor ullus habet, subito cum remige prædo
Improuisus adest? altis nam sæpe cauernis
Pestis acerba hominũ speculans latet abdita furtim,
Armatusq; animis ingentibus euolat acer.
Nec tantum fuerant tantis quæ parta periclis
Diripiunt, duris sed uinclis nectimur, unde
Non datur effugium, donec miserata labores
Expectata animæ nexus mors corpore soluat.
Ter maris unda furens Aquilonibus horruit atris,
Subdola ter faciles reuocat pellacia nautas
Blandius æstiuis solito insidiantibus auris,
Dicitur hæc Graiis Siren maris accola uasti,
Ex quo sola duas armatas Maura biremis,
Et minor, ingentes expugnat fraude carinas.
Mira quidem, sed res nulli non cognita tanta est.
Nam geminas longo cum cerneret interuallo
Remigibus liquido, uiridiq; incumbere campo,
Quæ propior, fidens animis, atq; artibus illam

Aggreditur, lætisq; uolat clamoribus ultro.
Explicat & nostris eadem uexilla, uelut quæ
Congressu lætetur amicæ, uiribus impar
Scilicet ut sese non hostem ostenderet hosti.
Atq; ita uela facit, tectisq; adremigat armis.
Ergo quæ properans prius exilit aspera pugnæ,
Capta dolo, infelix plausus quoq; reddit amicos.
Nec mora, multipedes polypi correpta tenent ceu,
Hinc illinc congressa manu religatur ahena.
Insiluitq; leuis pubes diro effera uultu,
Sternit & incautos ferro. natat omnis ubiq;
Per iuga, perq; foros respersa cæde triremis.
Desiluitq; salo pars integra uulnere, & ultro
Maluit extingui crudeli funere in undis,
Quam subiisse truces gladios, & compede dura
Impedienda dare immani uestigia Mauro.
Cætera ut ærumnas seruata spirat in omnes.
Nec satur iis animum rebus, uel sanguine prædo,
Victricem, ceu uicta foret, de more carinam
Pone ligans uictæ, sociis redit obuius audax.
Alter successuq; tumens, spe elatus & idem
Concurrit, sociæ rebus gratetur ut alter,
Prospectu secus esse putans, quã res foret, atq; is.
Lætus utrinq; sonat diffusus in æquora clamor.
Et uario dulcis certat Symphonia cantu.

Expreſſiſq; tonat tum fiſtula ferrea bombis.
Eq; ſua iam tunc habitum mentitus, & arma
Bis felix multa peruertit cæde triumphos.
Quid tibi quanta fuit referam pretioſa ſupellex?
Pondus & argenti? fului quid pondus & auri?
Vtraq; cum gemini longum dominata per æuum
Aequoris imperioſa daret iura omnibus undis.
Flos quoq; libatus ſiculis perit omnis ibidem,
Nec poſita immortalis adhuc inſignia luctus.
Non ſatis eſt duris cõmittere prælia campis.
Sæua ſuo gaudens hominum gens ſanguine claſſes
Deducit, mediaſq; hoſtes irritat in undas.
Confliguntq; domus compulſæ per mare uaſtum.
Arx uolat, & pelago concurrunt oppida, & urbes.
Vndiq; tela cadunt, immania ſaxa, faceſq;,
Quæ gelidis ſerpunt in fluctibus. unde uel igni
Vſta perit nauis, uel mole ſepulta ſub unda eſt.
Cognita quin etiam rigido uelut arietat ore
Bellua, pertunditq; ratem, terebratq; ſub undas.
Quo ſimul irrupit furtim uis æquoris ingens,
Et depreſſa mari ſubſidit, funera uictrix
Diſcerpens rabido depaſcitur improba morſu.
Nec miſeris inimica lues natat hæc modo nautis.
Crederet, hæc niſi monſtra fuit cui cernere, quiſnam?
Inſtar at immenſæ uomit ore erecta columnæ

Altera flumen aquæ immergens hominesq́, ratesq́,
Reddit ut exaturatus aquas olim imbrifer arcus.
  Est quoq́, quæ exuperat dorso, uelut insula, uasto.
Currentemq́ euertit agens molem obuia Pistrix,
Horrendum uisu, quales confligere quondam
Cyaneas timui cautes, quæ plurima ponto
Saxa uagantur aquis ingentia, fluctibus acta.
  Paruaq́, mira quidem sed res iam nota, Echeneis
Ingentem cohibet nauem remorata uolucrem.
  Nanq́ tibi auditum puto, quod Scinis in spelunca
Prodigium pascebat atrox, cum rupe sub alta
Testudo exiliens proiecta cadauera in æquor
Corripiebat hians. natat hæc non sola per undas.
  Plura quoq́ emergunt uariis portenta figuris,
Atq́ aliæ innumeræ pestes maria omnia complent.
  Tutus ab aligeris errat nec nauita ponto.
Nil referã, stupui quod & ipse, ut Stymonia Grus
Altiuolans petat horrisono nos desuper imbri.
Cum secura maris, defessaq́ pondere sese
Exonerat, laxatq́ uolas nouus unde pluit ros.
Densa phalanx etenim cõmigrans transfretat æquor.
  Hoc miserũ multo magis accidit. horrida nubes
Ortygiæ nomen dedit insula, sæpe uolucrum
Cum freta trasmittit, simul inuolat omnis, & alueo
Incumbens pessum pelago dat. turbine nec sic

Exhorrent,trepidantq́; atram nautæ omnibus horā.
Aut ferus expugnat cum moenia barbarus hoſtis,
Conſternata tremit ſic omnis turba tumultu.
Horribilis uenit ut pauidis exercitus hoſpes,
Laſſus ut in ſicca ſidens ſtatione quieſcat.
 Vtq́; nihil,quæ dicta mihi,contingeret unquā,
In terris quidnam grauius,quā uertere fluctus
Remigio?& duris intendere brachia tonſis?
Aut tortis uerſare rudentibus undiq́; uela?
Et curſare iugis? undaſq́; immergier infra?
Murice nam ſcopuli perſæpe tenaciter hæret
Anchora, quā potis eſt uis demere nulla ſuperne,
Ni natet huc aliquis penitus caua ſaxa pererrans,
Atq́; animā compreſſus,aquis uagus omnia luſtret,
Et manibus ſiſtens infixam detrahat uncis
Vix tandem inuentam undæ,atq́; obluctatus harenæ.
 Hei mihi cōſumptis lachrymis,tamē hæret in imo
Corde dolor. unq̄; nec defluet.unica proles,
Speſq́; meæ fuit, & requies iucunda ſenectæ,
Ora puer primo ueſtitus flore iuuentæ,
Dicta ſyracuſii fuerat cui filia Glauci
Leucothoe,ſpecie ante alias pulcherrima uirgo.
Cui res cuncta domus tot parta laboribus uni
Dotalis ſeruatur adhuc intacta puellæ.
 Hic dum merſus aquis audax petit ima profundi

Aequoris,(heu læsi imprudens quo crimine diuos)
Infelix oculis nostris non redditus unquã est.
Vortice seu uictus,quanuis nec fortior alter
Nare minas inter pelagi,seu fixus inhæsit
Angustas inter cautes,seu bellua nantem
Inuasit, gliscunt uariis nanque æquora monstris.
Notus Abydeni tibi quondam casus amantis.
Nec potui saltem funus producere,& inter
Cognatos patrio cinerem mandare sepulchro.
Piscibus at lanianda feris mea membra reliqui.
Post illa & potui cœlesti uescier aura.
Sed redeam sæuus diuertit me dolor unde.
Omnia sunt miseranda.caput uix ponere transtris
Nocte licet, fessos durisque sedilibus artus
Aethere sub gelido,fractique ad murmura ponti.
Colluuies quo fœda fluit teterrima pestis.
Et grauis in superas efflatur spiritus auras.
Semper & huc illuc fluitant caua lignea pulsu
Vndarum.currunt scopuli,terræque recedunt,
Vertitur atque aer circum.tum nausea uictum
Reiicit.at siquando fames furit improba, tantum
Atra Ceres modice succurrit sumpta,bis usta,
Atque exesa situ,nec munda.hac uescimur omnes.
Pocula nec dulcis nobis sunt nota Lyæi,
Parcus at humor aquæ longo corruptus ab æuo.

D

Qui tamen interdum cum deficit,& ſitis angit
Arida,amariciem triſtem,ſalſoſq; liquores
Cogimur exhaurire.nihil quo tetrius uſquã eſt.
Nec non ſæua diu tempeſtas obſidet oris
Iam procul,importuna fames ſubigitq; uel ipſos,
Quenq; ſuos,(dirum) conſumere dentibus artus,
Sponte fatigatas animas uel tradere ponto,
Singula ſi ſequerer,quæ ſunt aſperrima, fari,
Vndiq; q̃ miſeris ſit deplorabile fatum,
Ardentes ſol ante rotas extingueret undis
Oceani,& tremulis ſplendeſceret ignibus æther.
Nimirum ferus ille fuit, qui littora liquit
Primus,& inſanos auſus contemnere uentos,
Et dulcem rapidis animam obiectare procellis.
Non ſatis huic fuerat uitam duxiſſe uel intra
Oppida tuta,frui uel ſiluis.o mihi quando
Hoc dabitur,lucos inter,campoſq; uirentes
Securo,ſupereſt uitæ quod, uiuere, cunq;.
Eſt mihi rus modicũ patriæ prope moenia terræ,
Fons Arethuſa tuus qua dulci exuberat unda.
Deſpicere unde licet pulſantes littora fluctus,
Humida nec tantum prætendunt nubila coelum,
Quin nitidus pulſa caligine rideat aer.
Et dulces ſpirant Zephyri.tum floribus halat
Pinguis humus,ramis denſiſq; refrigerat umbra.

Hic mihi iam certũ est tandem requiescere, ibiq;
Immanem tibi constituam Neptune Tridentem.
Semper aquis quoniam primo uersatus ab æuo
Vitaui impendens fatum, manibusq; relapsus
Sæpe fui diræ Mortis. quæ turbida uultum,
Et furiale tuens instabat faucibus atris.
Sed satis hæc. leni increpitans uocat aura susurro.
Et fauet impulsum uentis mare. forsitan audit
Ipse pater, uotumq; libens deus accipit aure.
Surge age, & optatos fines cernamus ouantes.

Quemadmodũ Turris in Arce Mediolanẽsi fulmine icta dissiluerit omnis, narratur in hoc Poemate. additur etiã aliquid de impetu bellici pulueris, ad extremũ querelæ sunt de miseria temporũ.

Aerio superans Turris modo uertice nubes
Quo disiecta abijt? Iouis hæc fuit ira Tonantis,
Ira Iouis magni. trepidat cor, mente recursat
Nox ubi, cum uenit Hesperio prius igne diurna.
Nec facies eadem cœli, modo densa tenebris
Terrificat, pauidos sternit modo flãmea, uasto
Murmure deiectis cœlestibus undiq; telis.
Vnum, quæ molita fuit manus? omnia flãmis
Occupat ante, fragor sequiturq; immanis, & usq;
Verberibus furit horrisonis. tum funditus omnis
Vrbs quatitur. clausas ruptis patuisse fenestras
Vestibus extimuit gens territa, plurima sacris
Cardine uulsa procul iacuit quoq; ianua templis.
Altera iam alterius noctis nox additur umbris,
Iam tandem docet ingentes lux orta ruinas,
Et uigiles, lusi ceu somno, cernimus ultra
Cuncta fidem, passim per campos saxa patentes
Sedibus eiaculata suis, immania monstra,

Sic posita, illæsa (mirum) ut Tellure iacerent.
Quanta nec insurgens Salaminius impulit Heros
Nec pius Idæis, Latijsq; expertus in oris
Troius, aut classis fugiens uictoris Vlyssi.
Illa etenim aeriam uis diffidit ignea molem,
Sulfure mistus ubi fuerat situs abditus olim,
Parietibus situs erasus squallentibus ante,
Nanq; pruina uelut canescens floret opacus,
Occupat & deserta domus lanugine sentus,
Quo grauibus tormenta ardent immania bombis,
Cum teres impletur specus usto fomite adacto,
Aereaq; inculcata cauum pila truditur orbem,
Obstruit & cumulus spiramina pulueris atri,
Semina qui admoti spira simul allicit ignis,
Emicuit stridens, penitus mox lapsa per arctum
Intestina uorat fax ilicet omnia, & acris
Flāma furens uacuas sæuit prorumpere in auras,
Insitaq; excutitur, uiq; euolat excita pestis
Bellica, perq; uiros fertur, qua densa minatur
Hinc atq; hinc acies aduersa micantibus armis,
Omnibus ore tonans uasto sæuam horrida cædem.
Nec potis ulla phalanx obsistere, sed uelut amnis
Cum præceps agit arua, nec obijce segnior ullo est,
Sic quacūq; furor uenit igneus, omnia differt,
Atq; cateruatim sternit, capita ænea equorum

Tollit,idemq; uirum fortissima pectora telum.
Vlteriusq; uolat,nec pone sequentibus,ante
Qui pereunt,quicquã prosunt.ex ordine cunctos
Dissipat,ora,manus, & mille cadauera aceruat.
Quaq; prius confertus erat globus, ampla uidetur,
Plurimaq; hinc illinc deletis semita turmis.
　Oppida quid referam quo uerbere disiicit? hostis
Fulmineo uallata quatit cum mœnia telo.
　Edita nec quamuis rupes præcisa,minaxq;
Sustinet immensis erectas turribus arces,
Est quicq̃.subiecta cadunt quoq; fragmina montis.
　Nec minus huic steropes ꝓpugnãs,quod ꝑcul omne
Cunq; uidet,sæuis collimans ictibus aufert.
Erigit inq; deum sedes,supera astra lacessens,
Vnde ruina cadit cunctis trepidantibus ingens,
Tecta super,tabulataq; transuolat omnia præceps.
Perq; solum penitus fugiens diuerberat ima
Tartara, & exangues terret formidine manes.
　Quod si tergeminis cum montibus impia tentant
Prælia Terrigenæ centenis ensibus unus
Quisq; fremens,hæc nota feris portenta fuissent,
Victa foret nunq̃ superis manus horrida telis.
Maxima quin potius sublimia sidera mundi,
Et gemina accensæ fregissent cornua Phœbes.
Tuq; pater lucis disiectus inane per ingens

Nullus grata dares extinctus lumina Titan.
Quis male tam sollers finxit, quod nulla uetustas?
Aligerum summis fugientem nubibus, atque
Iapetionidem tulerit licet illa Prometheum,
Vnde homines ficti luteum genus, & tamen illic
Terrenis fertur caueis clausisse uolucres
Aethereosque animos subducto callidus igni.
Cũcta tamẽ docuit quicquid uetus, hæc noua & ætas,
Præstitit inuentum nuper, seu Rheticus illud,
Seu Meroe dedit exanimi circũflua Nilo.
Quis tamen, ille mali, siue hæc fuit author, in iras
Prodidit arma Iouis faber irritabile numen,
Aetnæus faber acceptus male, namque tenebris
Deque die imparibus festinat gressibus usque,
Deturpans nigra tostas fuligine malas.
Dum graue tollit onus, ferro uersatque bidenti.
Exacuit rapidas seu tela sequentia flãmas,
Siue coactus opus Marti facit armipotenti.
Cum interea ambrosiæ succos, & nectaris ille
Perpotat strophiis redimitus in ætheris aula,
Assidet & caræ, cura hæc cor ualdius urit.
Nam nisi coniugio parens uxorius esset,
Ipsa suas sibi haberet opes Cypris edita ponto,
Dotalis quicquid diues fert insula, & oris
Quicquid gemmiferis uitrei lauat æquoris unda.

Idq; uidens mussat furibundus, & usq; cauernis
Insonat Aeoliis. tantus timor urget amantem.
Neue tori insidiis uigilet, uafer edocet artes,
Ostenditq; dolens furtim cœlestia tela.
Vnde ruit, uastumq; extrudit pondus, & inter
Ipse uenit turmas Vulcanus, nec sua uires
Arma ferunt, iuueni Pelidæ qualia quondam
Fecerat æquoreæ Thetidis prece uictus amator.
Nanq; deus nunq; est non pronus ad ulciscendū.
Ipsa parens, regina deum, soror, & Iouis uxor
Insidiosa sui stupuit noua munera nati.
Lumina cum solio fugientes abdidit aureo
Intendens laqueos ultus fastidia matris.
Præter. n. Olenio qui germine natus adulter
Sensit idem, pater indoluit quoq; coniuge diuum
Tenuibus irretita adamantibus undiq; nexis.
Quare nec Mauors fera prælia tentat, ut ante,
Nec Bellona gradus, nec confert Attica uirgo,
Quippe hominū armati metuunt noua fulmina diui,
Et uidet esse Ioues tot terris Iuppiter unus
Aethereus, fremit infrendens hinc horridus ira
Dementis memor Arcadii, quē uana ferentem
Fulmina, detrusum ueris sub tartara adegit.
Ergo cœlestis, penetrabilis, & uagus ignis
Missus adest, rapuitq; cados, quis condita mille

Hostilis fuerat cædes, si sistere contra
Ausa manus foret ulla potentibus obuia belli.
Altera nanq; dies simul orta rediret Eoo,
Mittere perniciem fuerat mens hostibus atram,
Qua pater Eridanus pingues secat æquore campos.
Prælia quanta illic, & strages quanta fuisset,
Hæc metuens grauibus summo ruit axe quadrigis
Noctiferas nubes Saturnius, imbriferasq;
Sæuus agens, Turrisq; Ducum monumenta priorũ,
Tamq; operosa petit ferus impete moenia uasto.
Ilicet ima furit, capitur nec fornice, quanuis
Ingenti, petitura poli loca celsa, Deumq;
Sidereas, uitreasq; domos late excita flamma,
Ni præclusa foret circũq;, & desuper omnis.
Hinc enixa, datur nullus postq̃ exitus, alta
Culmina conuellens iacit in sublime, uolantq;
Sidera trans suspensa trabes, radicitus atq;
Dissiliunt imis ingentia saxa cauernis.
Marmorei postes, simulacra, insignia regum.
Vnde urbs contremefacta solo, procul icta ruinis,
Exanimata fragore, nouissima palluit amens.
Trinacris ut flagrans rupes caua perfurit olim,
Vndiq; collapsis scopulis cum flamma sepulta est.
Sicelis unde tremit Tellus. mox mille sub auras
Saxa uomit uastis Crateribus alta uorago.

E

Aruaq;,littoreiq; sinus,urbesq;,marisq;
Aequora cõplentur.trepidis pauor omnibus idẽ est.
Excidio custos deuotæ cessit & arcis,
Trans uada lata mitra bifida redimitus acuta,
Et leuam armatus lituo,dextramq; flagello,
Stabat ut ante fores uenerandus imagine diuus.
Et comes elapsa est serpens Epidauria, sacri
Velleris,Hesperiæq; uigil custodia siluæ
Inuoluens geminam sinuosis flexibus Arcton.
Quiq; ingens Turris fastigia celsa tenebat,
Martius,insignis galea,& calcaribus,ipse
Quem docuit roseis pictum palearibus Atlas,
Persarum procul huc uectum regionibus usq;,
Quem uillosa pauet Cybeles,refugitq; curulis,
Tunc primum tentare coactus aheneus ales
Nocturnasq; umbras,rapidosq; uolatibus imbres.
Et leuis excelso sublatus in æthera lapsu,
Allaturus opem fundo grauis affuit imo,
Fundamenta fuere ubi sed deiecta superbæ
Turris,ibi uastus barathri descendit hiatus.
Hinc atq; hinc uulso patet ingens pariete porta,
Quem super agrestis pellebat plaustra Bootes.
Bis duo lapsa super post ter quinquẽnia centum,
Terq; replens senos Dyctina refecerat orbes,
Lux ea,clauigero dicta est cui proxima diuo,

Exoritur sæclis ex quo prior omnibus infans,
Cum diuersa uolans uestigia nulla relinquis.
Notesces tamen incolumi magis eruta Turris.
Omnis & horrificos gens audiet ultima casus,
Non hominum deleta manu, cœlestibus impar.
Vnde graui labefacta dolet dominæ utraq; fato,
Fida diu tecum tot passa pericula belli,
Hinc atq; hinc Turris superans, ut olympia Calpe,
Et socia immani, æternoq; adiuncta labori.
Quæ, uelut ætheris hæ, pelagi sensere furorem.
Attulit at miserum multo magis ampla ruina.
Nam glomerata uirum sumptis manus aspera telis
Plurima, dum fœdos defendunt tegmine nimbos,
Omnibus una rapax horam quæ dixit eandem,
Sæua repentino Proserpina turbine læti
Abstulit, at mortis species non una uirorum.
Pars collisa graui sub mole, cadauere nullo
Occidit. ignis at hæc ui rapta repente perusta est.
Fumea uel nubes teterrima, uel necat æstus,
Sulfuris aut horrendus odor afflixit ademptos.
Dissiliensq; fuit lapidum uis plurima læto.
Et pauor attonitos illæsis artubus aufert.
Præcipitatur aquis multus. fuit altera iam lux,
Cum frustra quæsita diu duo mersa sub undis
Iuncta gemunt socijs uix agnita funera mœstis,

Arx etenim media est circum stagnante palude,
Nam pariter subito quatefactus pectora casu,
Alter ut alterius carum caput auferat Orco,
Brachia complexus per mutua, uictus uterq; est.
Quis arcis tutela duobus tradita fidis.
Horrida quiq; ultro pulsarent hostia Ditis,
Desererent commissa fide q̃; uiribus ullis,
Heu male grata suis delapsa arx prodidit ipsa.
Aurea quin etiam ter Luna bicornibus exit
Menstrua temporibus, claro ter cessit Olympo,
Et miser obtectus suspensis molibus omnis
Non obiisse cauis defletur forte retectis.
Viribus alta super flammarum tecta furentum
Proiectum longinqua uirum noua suspicit uxor,
Contractumq; rigore necis, flauamq; perustum
Cæsariem, impubesq; genas, mirabile dictu.
Vt nec Amazonia est manibus delapsa securis.
Ferreaq; impressis stabant rude iactibus ora
Durateis in equis suffixa, hostilia contra
Agmina, parsq; rotis labentibus, hæc quoq; tacta
Ignibus oppositos spargunt expressa repente.
At chorus omnis erat supplex de more sacello
Flebilis ante aras, & te Saluere iubebat
O Regina, salus miseris mortalibus una.
Per te uitalis (modulans sic uoce uocabat)

Lux datur,o iucunda uoluptas,ſpes quoq;,ſalue.
Exilio en partus matris damnatus iniquæ
Clamat,io mater fidiſſima, pectore & imo
Suſpirans gemit,atq; in fletus liquitur omnis.
Cocyti quibus exoritur fons.Eia age & iſta
In nos uerte libens placido mitiſſima uultu
Lumina, certa tuæ gentis tutela,fideſq;.
Ac tandem miſerata diu tot caſibus actos
Eripe,& æterni poſt tanta pericula læti,
Poſt tenebras,iubar oſtende,præq; omnibus unus
Luceat æquæuus patri puer,editus aluo
Virginis,optatos feſſis portuſq; recludat.
Semper o ante ſacros,& poſt caſtiſſima partus,
Sola puerperio quæ iunior,aurea mundi
Sidera uecta ſuper,quā nunc comitantur ouantem
Cœlicolæ,& gaudens plaudit pia turba triumpho,
Lucina,& uere mater Iunonia,felix
Sis diua,o mitiſq; tuis ſanctiſſima uirgo.
Talibus aerias feriebant cantibus auras.
Sicut Olorinis reſpondent uocibus amnes,
Siue Cayſtræi,ſeu flumina Mæandræa:
Cum uetus immoritur grex candidus, & ſua quæq;
Fata uocat uitæ alterius præſaga uolucris.
Sunt nemora excelſis ubi ſemperamoena uiretis.
Fontibus & reſonant muſcoſa fluentibus antra.

Tum leuis aſpirans fecunda fauonius arua
Mulcet,& æthereos ſuauis diffundit odores.
Ac ſine nocte dies,lætus ſine nubibus aer
Formoſam ſpargit cœleſti nectare ſiluam.
Nec uocalis abeſt auium uaga turba per umbras
Lapſa, per & ramos diſtincta coloribus altos,
Quis longe aſſurgit Medus quas miſit,& Indus,
Attica quaſq; dedit,uel quæ uolat aurea lucos
Inter odoratos Arabum,noua gutture fundens
Carmina dulciſono, ſola,& longæua uolucris.
Hæc Ioue nata Venus loca poſſidet, altera curis
Quā quæ ſollicitas hominū coquit improba mentes.
Cœleſtes Venus illa piis hic afflat amores,
Auguris ire dei geſtit quo cantibus ales.
Teq; manent meliora, uocat quem mater ab Orco
Rurſus,& ipſa ſuis pia prorogat oſſibus æuum.
Nec refert obeas Cæyx,uel Phthius Achilles,
Vel Samius,lauit quem Iuppiter,unxit Apollo,
Speluncæ uel te lapſus fatalis eodem
Momento, quo feſſus adis caua frigida,tollat.
Tantalus an plumoſa gemas per ſtrata uolutus,
Confoſſuſq; dolore graui,feruoribus uſtus,
Tædia ad extremum moriare domeſtica tabes,
Conſcia dum recti uita mens gaudeat acta.
Sed mala peſtiferum quæ fulgur nunciat?etſi

Euulſum decus Arcis, tot miſerabilis etſi
Trans ſimul Alpinos caſus tulit, occubuiſſe
    Quot Cremera atratis generoſo ſanguine lymphis
Vidit. Iane tuum crimen, qui talia ſuades.
Vnde tibi nunq̃ poſt illa Romulus audet
Credere fallaci. tuq; o patefacta tuorum
Exitio, infamis ſcelere, & malefida, ſororum
Peſſima, cõmiſſos reddis quin impia ciues?
Impia nequicq̃ lachrymis cõmota parentis.
    Sed licet illa fuere, metus grauiora minatur,
Et tremefacta pauet mens omnia. Iuppiter urbem
Reſpice. multa tibi calet ara ubi diues olenti
Ture, frequens inopi poſtes ubi pandit Aſylum
Semper, Eleuſinæ Cereriſq; benignius æde.
Caſtaq; ſupplicibus reſonant delubra puellis,
Non adeunda uiris ueluti ſacraria diuæ.
    Heu tamen immiſſos hoſtes, ſparſaſq; cruenta
Cæde uias. prohibete nefas. uideoq; tenebris
Coniectos trepidare fuga, flãmaſq; furentes,
Direptaſq; domos. heu diri carceris umbras.
Et ſubeunda trucis (miſerum) tormenta Procuſtæ.
Membra leuat miles uix cede fluentibus armis,
Lætifera & morbi uis effert funere lætos.
Quis perimet diras tot ciuibus impendentes?
Poſtulat his quænã nunc februa Iuppiter? ite,

Ite piæ, & sacras uerrentes crinibus ædes,
Et repente genu, precibusq; auertite tantas
Vibe minas. solet ira deum mitescere, siquem
Pœnitet admisisse nefas, ueniamq; precatur.
Vosq; Duces, uos o populos armare nefandas
Tot simul in cædes toties. miserescite tandem.
Iam satis effuso natat omnis sanguine Tellus.
Inq; sepulta iacent passim squallentibus aruis
Ossa uirum, iacite arma Duces. dextrisq; cruore
Detersis certum unanimes coniungite fœdus.
Tu; quem bellatrix decorat Regina uolucrum,
Grata Ioui, aerias labens super ardua nubes.
Et cui cœruleo florescunt Lilia campo
Aurea, per tenebras cœli uelut astra sereni.
Quod si nūc animus fremit arma, & tāta cupido est
Magnanimos inter Reges Decora Alta, triumphos
Ducere, & erectis spolia ampla ornare trophæis,
Hostis acerbus adest, iam sæcla impune superbus,
Improbus, insultans uictis tot gentibus unus.
Iactat & ereptas urbes, & regna, premitq;
Seruitio. replent miseris cœlum unde querelis
Ite pares animis. uos iam Byzantia pridem
Terra uocat. satis illa iugum crudele Tyranni
Sustinet, & fessis ceruicibus ingemit. o Sol
Ecquā collustrans maris oram despicis urbem,

Lucifer extollis, seu condis noctifer orbem,
Ingentes quæ tot ferat ærumnosa dolores?
Huc rapite arma. tegãt omnes læta agmina cãpos.
Albaq; felici sinuentur lintea uento.
Trans mare mille rates inimicas sistite ad oras.
His ceptis fauet ipse Deus, mentemq;, animũq;
Excitat, inuictasq; manus in prælia seruat.
Fulserit illa dies fortunatissima, quando
Prodigium grauibus uinctum furiale catenis
Diues opum, aurato ducet Victoria curru.
Iussus & obiectas rapere offas Cerberus ore
Stabit hians rabido uinclis oneratus ahenis,
Ante epulas Scythici pasta est ceu Bellua Regis.
At si bella manent nos impia, iam uenit ultro,
Auguror. infelix circum malus errat ouile
Improbus ingluuie iampridem. Sæua Leonum
Ira quid, & uires ualeant Fera sentiat atra.

F

Soluimus ante diem merito dum iusta parenti,
Nec potis est uis ulla nouos lenire dolores,
Pallida, scissa comas, tristiq; euincta Cupressu,
Dic age, dic moestos mecum mea Nenia cantus.
Improuisa uirum frangunt præcordia. lætus
Ibam festa Deum uenerans, cum nuntius aures
Perculit, ante fores subito pes deficit æger,
Labentemq; manus iuuenum miserata repente
Excipit, ora fouens gelidis pallentia lymphis,
Hospitis inq; domū referunt mea membra Lycotæ
Dic age, dic moestos mecum mea Nenia cantus.
Huc ubi peruentū est, lachrymis sine more ꝓfusis,
Immundoq; comas foedatus puluere, mecum
Immatura mei lugebam fata parentis.
Conueniunt socii. quos inter candidus Idas
Sic ultro affatur dictis. Quid fessa Thylesi
Infelix multo tabescunt lumina fletu?
Nauita num Stygius placabitur? ille silentes
Vt semel inferna uexit rate tristior umbras,
Nequicq̄ precibus lenitur. uictima non si
Plurima Persephone caderet prope littus Auerni,
Vnde ferunt trepidos reuocari sanguine manes.
Dic age, dic moestos mecum mea Nenia cantus.
Gallus adest Messala ardenti pulcher in ostro,
Inscius. utq; uidet luctus insignia tanti,

Obstupuit,tenuitq; gradum.mox ora resoluens,
Ecquis,ait,tantus dolor occupat? unde repente
Tam grauis oppressit moles? sic fatus obortis
Lumina detersit lachrymis.nec fit mora,cultus
Puniceos etiam ferrugine mutat Ibera.
Dic age,dic moestos mecum mea Nenia cantus,
Atra dies,atris semper signanda lapillis.
Redditur ecce mihi paucis post nota diebus
Littera,quæ certum uulnus simul edocet,utq;
Moereat orba domus,miserū me,lumine adempto.
Inferiasq; refert,& pompam funeris atri.
Dic age,dic moestos mecum mea Nenia cantus.
Moesta soror tumulo postq̃ redit,acta furore,
Impatiensq; animi,scissisq; horrenda capillis,
Infelix leui nectebat uincula collo,
Erigonen imitata,sui quæ funera patris
Nacta diem zona clausit miserabilis ultro,
Pallidaq; aeria Pinu demissa pependit.
Dic age,dic moestos mecum mea Nenia cantus.
Accurrit genitrix,subitoq; exterrita uisu,
Tune mei clamat,gemini tu causa doloris
Nata eris? infernas sine me prius ire sub umbras
Sperasti? quæ tanta animum dementia adegit?
Vt misera ante diem prima morerere iuuenta,
Non experta uirum,non dulcia pignora natos.

Me uero ante alias, uixi satis ipsa superq;,
Me decet. Alcesti licuit subiisse puellæ
Fata uiri. quis me confectam denegat æuo,
Quis Deus, unanimis comitari coniugis umbram?
Dic age, dic mœstos mecum mea Nenia cantus.
Ergo ego te nunq̃ posthac pater optime, nunquã
Aspiciam, nunq̃ tua uerba audire licebit.
O dolor. incassum reditus fingebat inanes
Nescia mens. Adero, quisquã nec nuncius ante
Præueniat. uidearq; Deum demissus ab arce.
Amplexusq; patris cari iucunda lacertis
Colla, uias referam, populos, durosq; labores.
Hæc ego uoluebam. celeres quæ uota procellæ
Per mare nunc iactant, & per scopulos præruptos.
Dic age, dic mœstos mecum mea Nenia cantus.
Ferte simul Nymphæ, Cynthæ quas integit umbra,
Aoniæ Nymphæ solẽnia dona sepulchro.
Non molles desint uiolæ, non alba ligustra
Mista rosis, sedeant ut molliter ossa Thylesi.
Annuaq; ad tumulum certatim carmina diuæ
Fundite, ut extincti semper sit fama superstes.
Ipse ego nigrantem pecudem, mea uota, quotannis
Constituã, niueiq; feram cana cymbia lactis,
Vinaq;, qua flauus rapido fluit agmine Crathis.
Nobilis & pingues spectat Consentia campos,

Desine, iam satis est, mœstos mea Nenia cantus.
Elysia fessus genitor requiesce sub umbra.
Ver ubi perpetuum floret, Zephyriq; salubres
Iucundis spirant animis, ubi concaua lymphis
Saxa sonant, lucisq; uolat genus omne uolucrum.
Iamq; uale, & nostri superest siquid tamen ultra,
Vltra fatorum leges, cineresq; sepultos,
Sis memor, & canæ uenient cum fata senectæ,
Erranti longe procedas obuius umbræ.
Desine, iam satis est, mœstos mea Nenia cantus.

Mineruam rogat, munuſculum afferat ipſa
Io. Matthæo Gyberto Datario
uiro ampliſſimo.

Serica iam dudum maculis mihi cingula denſis,
Inſignis niueo ſtamine miſſa fuit.
Quæ diſtenta aperit creſcentes mille figuras,
Et uariæ exiguo rete uagantur aues.
Dic Dea, cui radius cordi eſt,& penſa,coluſq;,
Quis tam formoſo munere dignus erit?
Nempe,tuis primo qui ſe dedit artibus æuo,
Inq; dies magis eſt deditus,atq; magis,
Gybertus.quem nulla Venus mouet, aut ſitis auri,
Alea nec ſegnes perdit auara dies.
Per te,perq; patris præcor o Tritonia numen,
Ne pigeat ſacræ limen adire domus,
Prima aderit cum nox,iuueniſq; oracula ceſſant,
Pythia ueridici quanta fuere Dei.
Sed memor ante pios galea caput exue poſtes,
Sic merito fas eſt uerba referre Deam.
Attonita aſpicies,te qualem fontis imago
Diua refert,uitreo cum lauis amne comas.
Lumina ſunt eadem,color idem,ſpiritus idem eſt,
Nec loquitur uerbis diſſona uerba tuis,
Forſan & eſt tecum de uertice natus eodem,

Tam ſimiles quis idem nõ putet eſſe genus?
Atq; ubi ſancta tuis continges pectora palmis,
Exornans donis officioſa meis,
Effice, plus ualeat blandi ne Ceſtus amoris,
Cingula quã caſtæ Palladis apta manu.
Ille ualet cupidos coniungere fœdere amantes,
Perpetuo hæc ualeant nectere uincla fidem.
Vtq; meum ſibi iam Gybertus uinxit amore,
Ingenti ut ſemper uinxit amore animum,
Sic amet ille ſuum, rogo te Dea magna nitentes
Perq; oculos, flauas annue perq; comas.

Amore captus dũ in ſiluis queritur Polyphemus, audiens Echo reſonantem, uoces opinatur Galateæ, ab eaq; dolet irrideri.

Quid mecum quereris? uel me magis improba rides,
Garrula, uocalis, mima, diſerta, loquax?
Quæ mihi nulla uideris opacis abdita ſiluis,
Sed mea dicta refers aſſona, nulla licet.
Iam ſatis o Galatea ſuperq; iocoſa fuiſti,
Ludere quin ludum deſinis inſolitum?
Quin profers formoſa caput, latebraſq; relinquis?
Inq; ſinu recubantem ambitioſa foues?
Irritas laſciua, meum iecur æſtuat ardens.
Ibo ego per rupes, teq; per antra ſequar.
Nunq̃; hodie euades ſalſas fugiens ſuper undas,
Fluctibus aut merges lapſa ſub æquoreis.
Sed gelida mecum requieſces ſtrata ſub umbra
Ilicis, ad ripas dulce ſonantis aquæ.
Et modo blanda choros agitare uirentibus herbis
Hoſpes gaudebis inter Hamadryadas,
Dum caua mille ſonans numeros mea garrit arundo
Ludit & intonſas corniger inter oues,
Quanuis muta ſilet nunc fiſtula, buccina poſtq̃;
Tortilis inflexo turbine miſſa fuit.
Quæ patula hirſuto illudens in pectore pendet.

Pignus,uel nostræ testis amicitiæ.
Congregat una greges sparsos ad septa,fluentis
Hac quoq; deponunt hubera lactis onus,
Admoueo assidue simul ora,impexaq; menta,
Sola etenim sedat concaua testa sitim.
Sæpius & multo sinuosa uolumine questus
Fundit, & umbriferum personat omne nemus.
Ac mihi dum texto calathus concrescit hibisco,
Barbatos tibi sit pascere cura greges.
Interdum pharetrata fugacibus obuia ceruis
Ibis lyncæo tegmine amicta humeros,
Candentes humeros, qualis nix albet in Aetnæ
Aeriæ incensis frigida uerticibus,
Quæ uelut æstiuis tabescit solibus,utq;
Liquitur ex altis lapsa cacuminibus,
Sic miser,Aetnæo quem non minor ignis inurit,
Soluor,& ora madent fletibus assiduis.
Munera quid referam?torquatas læta columbas,
Picta quoq; hinnulei mollia terga notis.
Qui tener,assuetusq; fero,lactisq; fluore,
Caprigenum quærit,consequiturq; pecus,
Tesqua per,& rupes,& per frutices dumosos,
Iamq; manu instituit carpere dente cibos.
Atq; alia accipies.sed munera nulla mouent te.
Saxa ego uestigans te latebrosa petam,

G

Quæ nam age quæ curuis conuallibus insonat? audis,
  Quam docili nostros reddidit ore sonos?
Dura, proterua, procax, petulans, quæ illudis amantē,
  Quod trepidas? nullum iam datur effugium,
Certum est per saltus perquirere, sicubi se abdit.
  Ite canes, rursus rettulit, ite canes.
Fallor & his forsan latet occultata cauernis
  Delia, nāq; canes infremit alipedes,
Incutietq; feris rabiem. Cadmeia proles
  Senserat iratæ numina sæua Deæ.
Fessus an ingenti sub fornice semicaper Pan
  Se reficit? locus hic arguit esse Deum.
Oblita nam tonso, molliq; sedilia musco
  Læta uirent, fons & dulcis abundat aquæ.
Tum coma formosis procumbit Pinea ramis,
  Floret & illæso cespite diues humus.
Excitus hic somno furit irritabilis ira,
  Sæuaq; terrificis obijcit ora modis.
Quisquis es, opperiar. mugit specus ecce resultans,
  Quis scit an his stabulet Bellua dira cauis?
Effera quæ uasto si carcere forte fuisset
  Libera, quas strages prodigiosa daret?
Atq; utinam me nunc ingentibus aspera malis
  Perderet, ut tandem desinerem esse miser.

Elegia de Auli Iani Parrhasii obitu.

Quis situs hic? situs hic? non est, inimica Mineruæ
Impia cur sacro texat opus lapide.
Conditus hoc inq; tumulo? uel quis iacet? Aulus.
Nunquid amata Deæ Tibia Cecropiæ?
Ferali extinctos solita est quæ efferre querela,
Num silet? inq; uicem nunc tegit alta silex?
Memnonio resonat magis hæc quin Mausolæo.
Non tamen artificis tibia facta manu est.
Qualis es hospes, ego uel qualis, amica choreis
Musarum hæc spirans Tibia talis erat.
Nec iucunda magis fuit alitis illa puellæ
Tergeminæ, illectas sistere blanda rates.
Iamq; latina fuit Siren, insignia Graij
Rhetoris hoc hospes sunt quoq; digna uiro.
Audita Eridani prope flumina, dixit & amnis,
Non mutatus olor dulcius ore canit,
Dum Phaethontæos querulis moribundus amores
Vocibus, atq; suos ingemit interitus.
Tybris est obstupuit doctæ modulamine uocis,
Assonuit ripis hæc quoq; Tybri tuis.
Fassus & huic uni es ueteres cessisse Quirites,
Dum latiis sonat hic dulce magis latium.
Attice ut Attæa magis urbe locutus & ipsa est

Hoſpes diuino dictus ab eloquio.
Vnde ſuperbit aquis tumefactus Crathis alumno,
Piſcoſis colles Crathis oliuiferos
Fluctibus allabens pulcherrimus, arua fouenſq;
Pinguia, Pampineas ſuſpicienſq; comas,
Quæq; cruenta gerit ramis frondentibus arbor,
Lapſaq; collectis poma cadunt foliis.
Qui nunc auricomans triſtis caput occulit undis,
Auget & inſolitis fletibus amnis aquas.
Qua uetus aucta uiris ſeptem ſe montibus effert
Aemula Romanis montibus, & libycis,
Diues opum, calabrumq; decus Conſentia, nati
Funera quæ rapti mœret acerba parens.
Plurima ubi manant gelidis reſonantia Tempe
Fontibus, herboſa rupe uiretq; domus,
Aonidum domus, hanc permutat ſæpe relicto
Fonte Aganippæ o Pieris alma domum.
Vnde miſer migrans uaſtam modo Ditis in aulam,
Non potes, ut redeas, Iane aperire fores.
Eumenidaſq; truces, canis & portenta, Chimeras.
Peſtis Echidnæ æ ſibila mille paues.
Te tamen inde fugax rapiet, nec Fama ſepultum
Centena reſonans garrula uoce ſinet.
Cumq; aliis, procul illa licet, uetus audiet ora,
Gens tua, nec tacitum deſeret Arcadia

Multus at umbriferis calamo cantabere ſiluis,
  Oreq;,nãq; tuum callet utrunq; genus,
Annuaq; ad tumulum ſolennia dicere uates
  Thyrſis erit,Corydon,& Meliboeus erit.
Ibis & aſtra nitens inter fulgentia,non qua
  Sol uenit,Heſperias uel cadit inter aquas,
Vel latet alter ubi deiectus,& abditus infra
  Tartara, luminibus inuidet aſtra polus.
Sed quos ſublimis rotat ignes concitus axis,
  Vertice quæ ſummo ſidera clara micant.
Nec lauat unda maris,uaſto ſed in æquore certos
  Semper agunt nautas lucida per tenebras.
Illic te cognata Lycaonis accipiet lux,
  Nec modo cœleſti fulget honore fides.
Tibia ſed ueniens augebit lumina cœli
  Nocturni,gnarus ſuſpicietq; Conon,
Miratuſq; nouum decus acceſſiſſe,quid ipſa
  Naſcuntur ſacro ſidera coniugio?
Quodq; nouo exoritur ſydus magis enitet æuo?
  Dicet,ſed felix,hæc ſatis,hoſpes abi.

Vrbs uetus armatis obsistens Parma cateruis,
Nunc tandem ex uero bellica nomen habet.
Tot simul extorquere Duci quam millia telis
Perfractam, hostiles non ualuere manus.
Non solet hic Parma trepidus dare terga relicta.
Gallica lex hæc est, non Lacedæmonia.
Quin Romanorũ uelut Annibal opposuit se,
Vnus enim clypeus omnibus ille fuit.
Alter ut ensis erat, Poenus quẽ Marte doloso,
Et patriis metuens contudit insidiis.
Ante sed articulis seruato umbone cruentis
Vulnere pinxisset, fortis ut Otryades.
Et uelut Aonius dux uictor lætus eodem
Clausisset uiso lumina, cæde madens.
Quã raperet passus, tantisq; insigne trophæum
Hostis iactaret maximus exuuiis,
Qualibus ornauit Mauortius alta Feretri
Templa Iouis Romæ conditor Iliades.
Cedite cuncta, prius quæcunq; fuere per æuum,
Scuta uirum, priscis præstitit ecce recens.
Quod Capitolina suffixerat ultor in arce
Scipiadum, accensa Martius ante coma.
Quodq; Numa æthereo deiectum condidit axe,
Quod Diomedæi surripuere doli.
Vel quod Phidiacæ manus exornata Mineruæ

Sustinuit celsis ardua culminibus.
Ipsa uel immanes quo Gorgone sæua Gigantes
Perfurit, armisonus quod pater ipse gerit
Tegmine munitum caræ nutricis, eosdem
Terrigenas inter cum tonat igne Deus.
Hæc texit non una uirum nam Parma, sed omnes.
Quam bene dicetur, nunc olus olla legit.

AENEAS.

Quibus uerbis Aeneas ex Antandro
cōscendens Patriam a Græcis
deletam allocutus est.

Iam noua coeruleas deducta est classis in undas
Cæsa sub Idæis Pinea uerticibus.
Impelluntq; leues suspensa rudentibus auræ
Lintea, dilapsis undiq; sideribus.
Linquendum est iam dulce solū, fuit inclyta quondā
Troia ubi, siue armis inclyta, siue opibus.
O Patria, o manibus disiecta hostilibus, omnis
Collapsa in cinerem, & flamine sparsa noti.
Tanta fuit nunq̄ e florentibus urbibus ulla,
Tam subito & casu diruta præcipiti.
Siqua salus superest post fata nouissima, salue,

Atq; uale, extremũ hoc, quod datur, aſpicere eſt.
Non licuit, ſæuis aut te hoſtibus eripere, aut me
Te prius optato concidere interitu?
Flauus ubi toties atratus cæde refluxit
Xanthus, ubi & Simois decolor auxit aquas.
Quaue manus Danaum pauitans per littora in altum
Profugit, ratibus delituitq; cauis.
Aut latebroſa grauis tenebras cum enixa per atras
Exitium peperit bellua Dardaniæ.
Cum ciues rapite arma, urbs tota fremebat in auras
Vocibus. hoſtis adeſt, ferte agite arma uiri.
Ilion æternis deplorandum lamentis,
Quis tua tot potis eſt, quis mala tanta queri?
Sæuitiam hoſtilis ferri ſubiiſſe, per ædes
Ciuili undantes ſanguine, perq; uias.
Ignibus heu deuota furentibus omnia, ſiquid
Reſtitit, Argolicæ ſenſit aratra manus.
Tunc potui ſupereſſe armiſq;, doliſq; Pelaſgum,
Numine ſublatus matris Acydaliæ.
Cũ uetus armipotentibus arx Priameia Graiis
Capta, malum, auratis ardua culminibus
Corruit, & flãmis ſuperantibus omnia diris
Exultabat atrox cæde Neoptolemus.
Quem furere, & geminis immiſtũ uidi ego Atridis
Terribilem abiectis ſtare cadaueribus.

Hercæumq; Iouem Regis fœdare senili
Sanguine, q̄ꝫ indigna est hostia cæsa Ioui?
Funera post nati crudelia raptus ibidem
Ilicet æternum tuq;, puerq; uale.
Et soboles germana, perit quæ, excelsa uiretis
Silua uelut telis saucia nubigenis.
Perdidit unius furor omnes. semper aquosa
Maluisses Ida pascere lanigeras,
Agresti contentus amore, fuisset Oreas
Siue tibi cordi, candida siue Dryas,
Innuptis q̄ꝫ sic alienam abducere nuptiis
Damnoso insignis factus adulterio.
Tempore quo uirgo doctissima Priamidarum
Sparsa comã, & niueas fletibus uda genas,
Affatur mare prospectans e turribus altis
Infortunatos Laomedontiadas.
En iterum Graiis cadit Ilion, Ilion armis.
Pergama collucent ignibus Inachiis.
O tantum prohibete nefas, miserescite uenti,
Vos saltem uenti pellite, ferte ratem,
Reddite desertis, fugit unde, Penatibus, actam
Turbine uel rapidis mergite uorticibus.
Quid soror insanam retines? ad busta iacebis
Tu quoq; amatoris uindicis ulta prius.

Impie dira dabis iam mihi supplicia.
Verte dea ingentes fluctus, e nubibus atris
Nata patris casta coniice tela manu.
Vltima sed superant immania. maxima Phoebi
Nulla forent utinam, uel rata dona forent.
Sed tantæ reus es seu cædis, siue deorum
In mala deuotus numine, tuqꝫ uale,
Eminus Herculei traiectus acumine teli,
Sparsus & intonsam puluere cæsariem.
Et patriæ ante omnes quondam tutela peremptus
Magnus Achillæa cuspide Priamides,
Felix Priamides, cui sic occumbere, mortem
Et licuit campis oppetere in patriis.
Excidio superare tibi non contigit urbis.
(O Neptune perit, Phœbe opus atqꝫ tuum.)
Nec stupefacta repentinis ululatibus auris
Horruit, & rebus tot doluere oculi,
Infandis rebus, quas nox congesserat una,
Vna omne extinxit nox decus Iliacum.
Ah facinus, celso deiectus culmine quis non
Respersit lachrymis hostibus ora puer?
Sacrilegas miser ille manus tremefactus, & iras
Sensit Vlyssæas regius Astyanax.
Imperiis quoqꝫ paret herilibus Hectoris uxor
Tradita uictoris serua ministerio.

Hæc quoqꝫ præmoriens uitaſti.munere diuum
  Mors data,non uitæ lux tibi dempta fuit.
Sed neqꝫ regaleſqꝫ nurus,matrūqꝫ cateruas
  Contigit addictas cernere ſeruitio
Perqꝫ ſalum rapere inſuetum,inſultantibus eſſent
  Tam procul Argiuis matribus ut famulæ.
Troiugenum regina parens longæua triumphis,
  Paſſa nefas o quantum,acta Agamemnoniis.
Et ſoror Aeacidæ lætalis cura ſepulti,
  Altera quæqꝫ tuum mouit Apollo animum.
Tertia,quam flāmis nequicq̄ꝫ atqꝫ hoſte recepi,
  Rapta iterum eſt coniunx regia cœlitibus.
Qui mihi fatalis ſociam inuidere laboris,
  Iucundam longæ qui comitemqꝫ uiæ.
Illa per umbroſas,docuere oracula,ſiluas
  Sacra facit Matri maxima Turrigeræ.
Quanta tamen cunqꝫ eſt,mihi certe nulla relicta eſt.
  Præſidet alma aliis,ſed perit illa ſuis.
Care puer iubeam cur ora madentia fletu
  Tergere,& curas pellere Iule animo.
En ego ſolator tot luctibus indefeſſus
  Frangor, & huic uni mens mea preſſa malo eſt.
Viue tamen noſtri non immemor,o ubicunqꝫ
  Es nemorum, fluuios ſeu colis undiſonos

AENEAS.

Fata iubent quo me tendere cœlicolum.
Et pater ipſe comes grandæuus non timet ire
Seruatus patriæ bis pater exitio.
Nec cõmunis amor natus tua dulcis imago
Paruus idem profugus denegat exilium,
Cum ſociis mecum ſimul omnia ferre paratis,
Aſpera quæ terræ, quæq; ferunt maria.
Iamq; rates euaſerunt, quos igne Penates
Eripui, uelis flamina Carbaſeis
Seruate, o ſemper felicia, uoſq; latinis
Templa manent meritos maxima littoribus.

DE PROMETHEO, ET CVPIDINE.

Illuſit ſuperis quondam uafer omnibus unus
Mortalis, tacitas ſurripuitq; faces.
Iuppiter ulciſcens mortales imperat omnes
Ludat ut occultis ignibus unus Amor.

DE IVVENE PERSONATO.

Dum tegit os roſeum iuuenis ſub imagine Mauri,
Et uelut inſidians Vrbe uagatur Amor,
Aſtitit agnoſcens Glycere tamen, inquit & oris
Quid iuuat egregium diſſimulare decus?

Sed neq; diſſimulas, magis ardent lumina in atro
Tegmine, ut obſcura ſidera nocte magis.

PROSOPOPEIA AD RVS SVVM.

Quando ſub nemorum coma
Semotus populo te fruar improbo
O Rus, grata animo quies?
En ex quo pelagi ſol oritur uadis,
Et ſerus micat Heſperus,
Vrgens me aſſidue turba procax tenet
Feſſum mille laboribus.
Felix heu nimium, cui licet inuiis
Siluis æuum agere, o Nemus
Lympharum ſcatebris irriguũ Nemus,
Formoſiſq; refrigerans
Vmbris, & Zephyris æſtiferos dies.
Quam me, quàm iuuat in ſolo
Stratum gramineo cernere garrulas,
Et ramis uolucres uagas.
O quis me procul hinc conſtituet iugis
Frondoſis, prope concauas
Rupes, muſcus ubi ſaxa uirens tegit,

Flauæ lumina Phyllidis
 Dum uoce, aut calamis multiforis canit,
Et iuncis Calathos leues
 Aut ſciſſa Corydon neſtit arundine.
Quem non ambitio leuis,
 Liuor nec miſerum luteus inficit.

ALAE CVPIDINIS.

Has tibi parue puer numeroſas dedicat alas,
Feſſa iugo tandem colla ſolutus amans.
Decrerā ſpecula me dare Leucadis,
Aut necē ferro ꝓperare adacto,
Alta claudere uel diem
Pēdulus Orno.
Ora madebant
Largis pallida fletibus.
Serpſerat furtī calor ī medullis,
Qualis Trinacriæ rupibus aeſtuat
Ignis. nūc memores munera parua damus,
Sed quae nulla queat cōſumere longior aetas.

ERRATA LIBRARII.

Charta X. in quibusdam exemplaribus, dulces reuisit, pro dulcesque reuisit. XV. Nec minus huic Steropes, pro hinc Steropes. XVI. Nanque Deus, pro Nanque. XVII. Dyctina, pro Dictyna. XX. Cæreris, pro Cereris. XXV. Quod trepidas? Quo trepidas? XXVI Tybris est obstupuit. Tybris & obstupuit.

Romæ in ædibus F. Minitii Calui Anno M.DXXIIII. Mense Maio.



